

D. O. D.

DISSE^TAT^O ACADEMICA

DE

JUDICIO POPULI,

Quam

*Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Regia
Academia Aboënsi,*

Præside

*Mag. JOHANNE BILMARK,
Historiar. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord.*

Pro Gradu

Publice examinandam proponit

*JOHANNES SALMENIUS,
V. D. M. Ostrobotniensis,*

In Auditorio Majori die XXII Maji MDCCXCV,

Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,

Domino Magistro,

JOHANNI SALMENIO,

*Pastori ac Præposito Ecclesiae, quæ Deo in Calajoki colligitur,
meritisimo,*

PARENTI INDULGENTISSIMO,

Ex atris, quæ paternam domum hoc tempore tegunt, doloris nubibus radius solatii promicare mihi videtur; occasione obtenta, publice declarandi venerabundum animi affectum, quo Te, Parens Indulgentissime, prosequor, &c., quoad vixero, sum prosecuturus. Tibi enim post Deum O. M. refero acceptum, non tantum quod vivam, sed etiam per sollicitam, quam institutionis meæ gesistii curam, quod recte vivere queam. Pro Tuis autem in me beneficiis, & Tua conditione & mea exspectatione majoribus, nihil habeo, quod Tibi, Parens Indulgentissime, rependam præter animum, quem Tibi devoveo, gratissimum; in cuius signum præsentem Tibi offero dissertationem meam, quam Te benigne fore excepturum, Tuus in me favor mihi affatim pollicetur. Quod reliquum est, Supremum Numeri quotidie precari non intermittam, velit Te, Parens Optime, salvum & incolument nec non quovis felicitatis genere cumulatum conservare, ut Ecclesiae commodis ac Tuorum votis per longam adhuc annorum serien sufficias. Ita ex intimo voveo pectore, ad cineres usque permansurus

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus

SALMENIUS.

JOHANNES SALMENIUS.



PRÆFATIO.

Quamvis homini per Rationem, eximiam illam animæ nostræ facultatem, qua rerum quarumvis relationem ac nexus perspicit, verumque a falso, nec non bonum a malo distinguit, optime consuluerit Supremum Numen; pars tamen hæc nostri esentia- lis conditionem corporis ita imitatur, ut in hominis infantia parum valeat, assidua proinde ad res obje- ctas attentione e naturali quasi veterno excitanda, studioque & exercitatione sensim perficienda. Interea vero homo instar reliquorum animalium suis ducitur sensibus, qui quamvis & ipsi sint præstantes dotes, nec quempiam eisdem rite utentem in errores inducant; attamen dum repræsentationibus incautus homo ima- ginationis lenocinia adjungit, ratione in consilium non dum adhibita, nubem pro Junone. ac malum pro bo- no sœpe apprehenderet, nisi eum meliora docerent pa- rentes & alii, bene ei cupientes, speciosas rerum ap- parentias a vera earum indole discernere pridem e-

A

docti.

2

docti. Adminicula autem rationis excolendæ præcipua sunt: viva aliorum prudentiorum institutio, experientiae, nec non scientiae tam theoreticæ, quam practicæ; quibus vero quum ex æquo fruendi non singulis detur facultas; necesse est, ut in magna hominum multitudine, quam *Populum* (a) appellamus, plures reperiantur, qui pro diverso captu suo diversam inventant earundem rerum ad se relationem, adeoque discrepantia etjam de his ferant judicia. Et quum unicuique homini vi libertatis naturalis sit integrum, de rebus obviis pro se judicare, modo aliis sua temere non obtrudat placita, atque in plurimis contingat negotiis, ut judicia ista ex judicantium numero frequentius, quam ex rationum pondere aestimentur; meorum qualiumcunque in stadio Philosophico progressum specimen alterum editurus, observationes nonnullas cum de indole judicii populi, tum de nostro ejus respectu officio in medium proferre, & æquanimi B. LECTORIS censuræ submittere constitui.

(a) Per *Populum* intelligimus complexum hominum cuiuscunque conditionis in civitate quadam degentium, distinguendum proinde a plebe, viliorem populi partem denotante.

§. I.

In magna illa hominum multitudine, quam *Populum* appellamus, tres generatim distinguimus classes; quarum illam constituunt æqui rerum aestimatores,

res, istam autem, quotquot ex suis affectibus magis,
 quam ex factorum momentis & circumstantiis actiones
 & merita aliorum censem; ad hanc denique referendi
 sunt illi, qui quum ambiguam actionis aliorum
 moralitatem discernere non valent, in suspenso haerent,
 sollicitudine saepe intempestiva se torquentes. Harum
 clasium, teste experientia, jam una, jam altera praevalet;
 interdum vero, licet rarius, eadem est mens,
 idemque judicium. Praeterea erit observandum, quod
 quaelibet fere actio humana diversum habeat respec-
 tum moralem, prout vel agentis propositum, vel a-
 gendi modus, aut actionis effectus separatim conside-
 ratur, & unum alterumve horum momentorum judi-
 cio formando inservit; hinc diversa admodum de eo-
 dem facto existunt judicia, utpote non ratione, quae
 una est & simplex, sed opinione, quae plurimum varia-
 rit, innixa. Circa populi judicium erit insuper nota-
 dum, quod hic longa ratiociniorum serie non uta-
 tur, sed ex simplici facto vel una insimul alterave cir-
 cumstantia mox concludat, illud vel laudandum esse
 vel improbandum. Imo de rebus & actionibus ex
 harum apparentiis saepe judicat; haec autem quum il-
 larum indoli interdum sint conformes, interdum ab
 eis discepent, judicium quoque populi erit vel verum,
 vel erroneum. Denique nou erit reticendum, quod
 populus eis subinde concinat, quorum perspicaciam,
 integritatem, aliasque virtutes cognovit; quo in casu
 judicio illius multum esse tribuendum, res ipsa loquitur.

§. II.

Dantur Philosophi, eruditio[n]is fama admodum celebres, rotunde asserentes, maximam partem hominum esse stultorum, a quibus proinde ut recte sentiant, non esse exspectandum. *Enimvero sententiam hanc esse minus sobriam, cordatus quisque animadvertisit; quum enim judicia populi, quem placidum nec ab aliis in transversum esse abreptum primo supponimus, non spectent veritates theoreticas & abstractas, quas, utpote ad se minus pertinentes, pro indifferentibus is habere solet, sed res vel universae societati, vel majori saltem hujus parti utiles aut noxias, & ita evidentes, ut eas in dubium vocare nemo, cui sani sunt sensus, possit: judicia hæc intuitiva, non acre ingenium postulantia, æque valebunt, sive ab eruditis, sive a simplici ferantur populo, præsertim quum ratio & sensus in his concordent casibus. Poteſt hue referri, quod de electione Magistratum, in Democratico imperio, populo competente, obſervat Illuſtris MONTESQUIEU: Le peuple eſt admirable pour choisir ceux, à qui il doit confier quelque partie de ſon autorité. Il n'a à ſe déterminer que par des choses, qu'il ne peut ignorer, & des faits qui tombent ſous les sens. Il fait très bien, qu'un homme a été très ſouvent à la guerre, qu'il a eu tels ou tels succès, il eſt donc très-capable d'élire un Général. Il fait qu'un juge eſt aſſidu, que beaucoup de gens ſe rétirent de ſon tribunal contens de lui, qu'on ne l'a convaincu de corruption; en voilà assez pour qu'il élise un Pré-*

Prêteur (a). Similiter in consituendis Ecclesiarum ministris, dum electio populo est reliqua, hic de unius candidati præ reliquis præcedentia saepe non inepte judicat, considerans pietatis illius studium, modestiam, integritatem atque in officio administrando diligentiam, quam vel ipse expertus vel per famam, nullius censuræ obnoxiam, accepit; nec suo se delusum fuisse iudicio, satis deinceps animadvertisit. Et haec tenus etiam valet paroemia: *Vox populi est vox Dei.* Quamobrem nec improbanda sunt, quæ HORMISDA, Pontifex Romanus ad Hispaniæ Episcopos scripsit: *istam in Sacerdotibus ordinandis servandam electionem, ut in gravi murmure populorum Divinum credatur esse iudicium; ibi enim Deus, ubi simplex sine pravitate consensus* (b).

(a) Vid. *L'Esprit des loix Tom. I. Libr. II. Ch. II. p. m.*
19. (b) *Epiſtol. IV. Cap. 2.*

§. III.

Ita, ceu vidimus, in æstimandis hominem meritis a vero non semper aberrat populus, factis illorum oculos hujus magis perstringentibus, quam ut suum eisdem non mutuaretur assensum; imo si populus forte videat, egregiam virtutem præter meritum periclitantem, hanc contra imminentem etiam a Despotismo oppressionem in iudicio defendere non dubitat. Exemplum hujus nobis sifit Israëlitarum Principis JO-NATHANIS casus. Ingressus fuerat hic Heros ca-

stra hostium suæ Nationis, Philistæorum, suo tantum
 armigero comitatus, atque singulari Dei auxilio eos
 ita terruit, ut in fugam se catervatim conjicerent; in-
 sequitur fugientes Rex **SAULUS**, & exsecratione
 populum obstringit, ne cibum sibi ante vesperam ca-
 peret, donec suos ultus fuisset inimicos. Accidit au-
 tem, ut Jonathanes, exsecrationis Patris plane igna-
 rus, mel agreste sibi obvium gustaret; quod ut Rex
 cognovisset, filium ad mortis supplicium condemna-
 vit; populus autem Principem hunc ex capite æqui-
 tatis innocentem ac de patria optime meritum judi-
 cans, ea auctoritate defendit, ut eidem obniti Saulus
 haud consultum duceret *i Sam. XIV: 45, 46.* Quid?
 quod longius nonnunquam progrediatur populus, &
 si suo judicio dirimenda permittatur collisio inter bo-
 num morale & physicum, seu inter id quod honestum
 est & utile exorta, illud huic, dum animus est placi-
 dus, esse præferendum, sæpen numero judicat. Cujus
 rei memorabile exemplum nobis suppedidat Historia.
 In forum Atheniense prodiit **THEMISTOCLES**, po-
 pulo ibidem congregato significans, se opportunam na-
 ctum esse occasionem, patriam ad principatum inter Græ-
 ciæ civitates evehendi, petens solum modo sibi collegam
 dari, cum quo meditatum communicare posset consilium.
 Concordibus suffragiis designatus fuit **ARISTI-**
DES, tanti moliminis particeps futurus; cui sub silen-
 ti rosa aperuit Themistocles, sibi esse propositum,
 classem Lacedæmoniorum, quam ad Attica littora

appu-

appulisse cognoverat, clanculum comburere. Aristides in forum reversus, populo simpliciter significavit: nihil quidem Themistoclis consilio esse utilius, sed juxta nihil iniquius; quo cognito, populus mox jusserit Themistoclem, a suo desistere proposito (a). Fatemur, rara hæc esse judicij populi exempla, eo minus autem reticenda, quod humanitatis & æquitatis populi, sibi relicti, certa sint indicia.

(a) Vid. PLUTARCH. in vita Themistoclis & de ROLIN Traité des Etudes, Tom. III, p. 294, 295.

§. IV.

Enimvero quod de singulis valet hominibus, non eundem semper esse animi eorum statum, idem integro applicari posse populo, multiplex docet experientia; qua constat, populum interdum placidum, alio tempore vel suis affectibus vel aliorum auctoritate abripi; quod eo minus quisquam mirabitur, quod major populi pars vel nullam vel pravam nancisci soleat educationem; quare etjam de aliorum actionibus minus recte saepissime judicat, in aliam aliquamque inclinans sententiam, prout vel lucrum vel speratum oblectamentum, vel animus vindictæ cupidus eum sollicitaverit. Citatur quis ut opibus abundans, sed qui eisdem utitur tam in majorem vitæ commoditatem, quam occasionem aliis subministrans, pecunias suis laboribus a se obtinendi; mox clamitat populus, civem illum esse luxui nimis deditum, atque intra mediocritatis terminos

minos reducendum, ne pravo exemplo ad prodigalitatem alios seducat. Esto autem, talem, ne male audiatur, priorem vitæ rationem mutare, & parcimoniæ studere, non raro contingit, ut graviorem populi censuram experiatur, quasi is, qui sibi soli vivat, & neminem in bonorum suorum communionem admittat. Hinc non est mirandum, quod quicquid modestum populo ignaviæ speciem habeat, quod circumspectum ac providum, segnitiei, quicquid autem temerarium ac præceps, id forte ac virile censeri soleat.

§. V.

Quoties contingit, ut populus in causarum dijicatione partim suis ducatur præconceptis opinionibus, partim Demagogorum dictis, tamquam ex triplode prolati, facilem habeat fidem, fieri aliter nequit, quam ut illa multum ex iniquo subinde trahat. Populus enim pari dolore fortunam aliorum & suas metitur injurias, aliosque libenter deprimit, ut si æquilibus ei esse non liceat, quam minimum tamen intercedat discrimen, ad exemplum Ephesiorum, magnum Hermodorum urbe sua his verbis ejicientium: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis exstiterit, alio in loco & apud alios sit.* Inprimis vero si natio statum, cui subjecta fuit, Despoticum eluctata in libertatem civilem per temperatam regiminis formam pervenit, hanc quovis etiam impendio conservare cupiens, tuta etiam
omnia

omnia timens (a), virtutem præsertim eminentiorem & illustriora merita, quod adminicula sint supremos in republica honores obtinendi, graviori perstringere solet censura, quam ipsam improbitatem, aliorum benevolentiae comparandæ plane ineptam. Vidimus nuper æquitatem populi Atheniensis; qui autem maximam prodidit iniquitatem in cives, quorum omnis culpa in meritorum fulgore consistebat. Quum igitur justitia unus omnes Athenienses superaret ARI-STIDES, adeo displicuit populo, ut propter virtutis studium patria ex civium suffragiis ejiceretur. Imo populi, non placidi, sed a Pharisæis exagitati, fuit vox illa, qua CHRISTUM Salvatorem coram Pilato insectabatur: *Crucifige, crucifige.*

(a) *Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium civium suorum potentiam extimescebat; eeu observat CORNELIUS NEPOS in vita Miltiadis Cap. VIII.*

§. VI

Omni fere ævo communis fuit populi consuetudo, ut de grandibus factis ex horum eventu, &, prout experientia fuit compertum, eadem in publicam felicitatem vel bonum vel pravum habuisse influxum, vel benigne vel sinistre judicaret, nulla cæteroquin intentionis agentis, aut mediorum ab hoc in proposito fine obtinendo habita ratione. Profecto Quiritium postremi ex reportatis victoriis tyrannos a legitimis

B

Pri-

Principibus discernebant, quod unico saltem nunc probabimus exemplo. Scilicet Pescennius Niger, qui contra Severum arma corripuerat, non aliam ob causam tyrannus, hoc est, injustus imperii invafor a populo fuit habitus, quam quod a Severo fuit devictus; quumtamen Severus justiorem invadendi imperii causam, quam ille, non habuerit. Quam autem iniquum sit tale judicium, vel exinde constare arbitramur, quod eventus nec ab intentione, neque a mediis, ut cunque prudenter adhibitis, necessario dependeat, sed ad illius qualitatem non raro conferat una alterave circumstantia, quam e longinquo prævidere, humanae datum non fuit sagacitati. Hinc quidam ex recentioribus: *C'est un préjugé bien trivial, que de supposer du mérite & de l'esprit à tous ceux, qui réussissent; & il y a un autre qui n'est pas moins ridicule, c'est d'ôter même le sens commun à tous ceux qui ne réussissent pas.. L'un & l'autre peuvent être vrais, l'un & l'autre peuvent être faux; mais c'est d'être peuple que de décider sans preuves (a).* Solum igitur eventum idoneam non præbere rationem, moralitatem factorum æstimandi, saniores etjam gentilium agnoverunt. Hinc Poëta -- careat successibus opta --- *Quisquis ab eventu facta notanda putet (b)..* Et Carthaginenses, ferox quantumvis populus, duces suos, pravo consilio bellum gerentes, etiamsi prospera subsecuta esset fortuna, cruci tamen suffigebant; quod bene gesserant, Deorum immortalium adjutorio, quod male commiserant, illorum culpæ tribuentes (c).

(a) *Les*

(a) *Les préjugés du public sur l'honneur par Mr DENESLE,*
 Tom. I. p. 222. (b) *Ovidii Epist. 2. v. 86, 87.* (c)
Vid. VALERII MAXIMI Libr. II. Cap. VII. p. m. 205.

§. VII.

Imprimis autem perbenigne judicare solet populus de illis actionibus, quas magnam nominis celebritatem consequi animadvertisit. Sicut enim præjudiciis sensuum se duci sæpissime patitur; ita quicquid in his sensationem excellentiæ ejusdam excitat, & famam ita emovet, ut per longinquas etiam regiones hæc evagetur, sibi gratissimum esse testatur. Quo in causa adeo indulgenter se habet populus, ut fuso sive amoris in patriam sive justitiæ, qui facinoribus, ex sua opinione magnis, prætenditur, sibi imponi non raro patiatur, nec eventum facti nec influxum in publicam salutem multum curans, modo exsecutio fuerit aleæ ita plena, ut portenti instar sit, hominem tot tantasque difficultatum moles, sibi objectas, eluctari potuisse. Ei enim ita suppeditatur materia, qua suam iterum iterumque pascat imaginationem, & quam mirentur justique senes trepidæque puellæ. An vero populus ex tali motivo judicium ferens, aequitatis tenorem servet, ab exemplo jam afferendo cordatus Lector statuat. Inter vicinas duas Nationes, hactenus amicas, existunt primum similitates, tum inimicitiae, in funestum bellum, ut probabile cunctis videtur, propediem erupturæ. Operam autem suam oportune interponit prudens

dens quis Heros, atque propitio Numine & indefesso studio tranquillitatem fere conclamatam suis reddit civibus; egregium omnino factum, de quo tamen frigide judicat populus, quod sine ulla rerum mutatione, & sine sanguinis profusione imminens bellum fuerit compositum. Enimvero non ita multo post hæc mutatur scena, & inter Nationes modo nominatas novæ oriuntur contentiones, quæ, quod prior Heros desideratur, in violentissimas belli flamas erumpunt. Expugnantur igitur ac diruuntur urbes, rura desolantur, & ingentes hominum strages utrinque eduntur; quibus peractis victrix Natio alteram cogit ad pacem secum ineundam. Quantum-ne hoc armorum successu lætatur victor populus, quam exquisitis laudibus tam belli Ducem, quam hujus commilitones cumulat? & insanus fere haberetur quisquis querere auderet, quid denum lucrata sit felix patria, cuius nec auctum fuit territorium, nec opulentia major facta? Argumentis in responsionis vicem deficientibus, diceretur: Nationem tamen in conspectu totius cultioris orbis ostendisse, neminem se impune lacesere, cæterum magna facta non ex eorum fructu, sed ex luculento exortas controversias dirimendi modo esse æstimandas. Forte autem inclito Duci Philosophus alia ratione, quam populus, actionum moralitatem æstimans, idem, quod Scytharum Legatus Regi ALEXANDRO M. objiceret: *Si Deus es, cui te asfociat populus, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere,* vid. CURTII Histor. Libr. VII. Cap. VIII.

§. VIII.

§. VIII.

Minime omnium sibi constat judicium populi, a liorum merita ex qualitatibus eorum corporeis ita aestimantis, ut pro diversa harum indole eis vel faveat vel eos despiciat habeat. Concessit alicui natura robustum ac procerum corpus, non raro argumentatur populus, excelsum huic esse animum, eumque magnis rebus gerendis esse destinatum, quasi magni animi hospitium esset solummodo grande corpus. Contra ea autem is non multa polliceri videtur, qui corporis forma haud valet; quasi vero non oporteret, homines illi favere, cui natura fuit minus propitia. Hoc praetudicio capti Lacedæmonii, præclara Regis AGESILAI merita in ipsa statim herba suppressare voluerunt, indignantes, quod pusillus esset, & claudus altero pede, dicentes: *claudicante Rege, claudicare etiam aliquando oportere rem publicam;* quasi nihil præclari efficere posset, nisi cui Iphicratis & Pertinacis imperatoria esset forma. Populum autem Spartanum sua opinione delusum fuisse, vel inde constat, quod quum multos & ante & post Agesilaum Lacedæmonii haberent Reges, imperatoria forma eo superiores, ipse tamen Imperatoriis virtutibus ac heroicis factis cunctos superaverit. Imprimis est dolendum, quod in Ministrorum Ecclesiæ vocationibus, dotium corporis, præcipue vocis flexibilis & altisonæ, quæ tamen ad veram Ecclesiæ ædificationem parum aut nihil confert, rationem fere primam habeat populus, suffragia datus; quo quidem

modo fit, ut probi prætereantur, Thrasones autem quærantur; quæ non nostra solum, sed præstantissimorum etiam Theologorum est querela. Vid. *H. M. RADE-MACHERI Dissertatio de Injustitia vocationis factæ ad clamorem populi.*

§. IX.

Consideranda adhuc restat tertia populi classis, qua comprehenduntur illi, qui veritatem bona quærunt intentione, sed quod dotium animi cultura & scientiarum peritia minus valent, ex una alterave circumstantia, sibi obversante, de indole personæ vel facti præcipitanter judicant, & qui dum conscientiæ dubiæ nimbos dissipare non posunt, multa se torquent ægritudine. Tales se officio suo defuisse putant, nisi omnia ad unguem resecant; quibus vero non semel contingit, ut culices pereolantes, camelum deglutiunt; sed culex illis est instar cameli. Hi non solum malis aliorum dictis & factis offenduntur, sed de piorum etiam actionibus, schemati opinionum suarum vel præconceptrum vel superstitionarum non conformibus, sinistre judicant. Huc referendus est populus, primis Christianismi temporibus vivens, qui eos condemnabat, quos cognoverat ex carnis, quarum partem Ethnici suis immolaverant Diis, comedisse. Nec his multum sunt dissimiles, qui viris, probis a se habitis, dicam scribant, quod cum improbis subinde conversentur, licet hoc non ex levitate, sed ex muneris sibi injuncti teno-

tenore fieri sciant. Ita autem se gerentes, falcem in alienam mittunt messem, immemores exprobationis Apostoli: *Quis tu, qui alium condennas? Quisque suo domino vel stat vel cadit.*

§. X.

Antequam ex hoc digredimur foro, paucis erit dispiciendum, quodnam sit boni viri officium circa judicium populi; quod argumentum ut distincte pertractemus, considerabimus cum populum in tribus a nobis supra commemoratis classibus, tum ejus judicium, in laudem vel vituperium alterius vergens. Quocirca in initio erit monendum, quod gravem omnino mereantur censuram, quotquot se populi judicio superiores credant, eos abjecti animi habentes, qui illius moveantur opinionibus. Fatemur quidem, prævia constare experientia, benignum aliorum judicium bene meritis saepe nihil profuisse, & ex adverso bonis ac præclaris viris sinistras opiniones, licet falsas, haud parum nocuisse in eis rebus, quæ extrinsecus adveniunt, & ex aliena dependent voluntate; quam autem utriusque contrarium saepius contingat, sequitur, judicium populi pro re nullius momenti nequaquam esse habendum. Sed ex brevi hoc diverticulo in rem præsentem veniamus. Si igitur homines probi ac circumspecti de nobis nostrisque factis benignum ferant judicium, lætemur, nos a probatis laudari viris, nostrique proinde esse officii statuamus, illa, quam ingressi

gressi sumus, virtutum ac meritorum semita jugiter
 insistere, eundem populi affectum, quo vita nostra ci-
 vilis vigeret, ita nobis perpetim conservaturi. Sin ve-
 ro ad dictum tribunal male audiamus, integrum vitæ
 rationem ad justam revocemus censuram, quicquid
 aliis esse possit offendicula sollicite in posterum omit-
 tentes, nec nostris indulgentes vitiis, sed modeste cogi-
 tantes, quod plus videant oculi, quam oculus. Sicut po-
 pulus malignus & invidus, qualis in secunda occurrit
 classe, æqua lance nihil penitus, ita aliis vitia quævis
 affingit; a quibus qui se novit esse plane alienum, imme-
 ritis non conturbatur contumeliis, sed innocentiae suæ
 scuto se tegit, ingenti scopulo similis, in quem asurgen-
 tes impetuosi fluctus eum non frangunt, sed ab ipso
 franguntur; persuasus, quod constans virtutum ac bene-
 merendi studium judicium populi tandem mutet, faciat-
 que ut suæ eum pœniteat iniquitatis. Denique haud fas
 est, ut homines tertiae classis suæ relinquamus ægritudini,
 in quam per judicii infirmitatem inciderunt; quod
 optime fiet, si non solum ab ipsis vitiis, sed ab horum
 etiam apparentiis, quas populus infirmior cum illis sæ-
 pe confundit, abstineamus, memores effati Apostoli
PAULI, asseverantis, *se carnem nunquam esurum, si eo*
esu suum offenderet fratrem; quibus cautelis quisque in
 variis vitæ casibus integrum conscientiam, cum totius
 mundi divitiis non permutandam, servabit.

S. D. G.